



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1657**

§. 183. Non remisi vos ad illum v. 15.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

illatam, super omnia autem gratias agens, quod me tuis doloribus & miseriis conformas, atque ita omnia quæ à fratribus meis, sororibus aut amicis inferuntur, de manu tua accipiam. cogitans, quod sic oporteat me Crucem tuam portare & Patri tuo cœlesti gratum obsequium fer ritatis, prestare.

§. 182. *Sed neque Herodes. v. 15.*

Crescit Christi Domini mei encomium inter voces mentientium, & inimici eius sunt iudices, & testes innocentie eius; inter quos etiam cogitur esse Herodes, illa vulpes, ille mali corui malum ovum. Quid mirabilius? vere Domine non solum ex ore infantium & lactentium; sed etiam adulatorum & inimicorum virorum imo Principum ac Regum perficis laudem; cum tibi fuerit complacitum.

**O** Bone Iesu, quando in aduersitate me resigno in voluntatem tuam, vel quando in injurijs à proximo illatis, cogito, quod à te hoc procedat, licet proximus forte illas ex malo affectu inferat, sustineam in patientia; tu potes convertere inimicorum opprobria in encomia.

§. 183. *Non remisi vos ad illum. v. 15.*

Cognoscens per vos eum de ditione & jurisdictione Herodis esse, ut judicaret vestras in eum accusationes, graves satis & morte dignas, si verè probari possent, ablegavi vos cum illo ad ipsum. Et sane erat iste Herodes de genere vestro, Iudaica religionis, & ambiens, vobis placere; ut aliquando sese, si resferret, in Regem acceptare libenter velletis: tales multas & graves causas habebat Herodes iudicandi pro vobis contra illum unicum despectum & desertum à patronis omnibus; dummodo species aliqua veri afflisset in accusationibus vestris.

**D**omine Iesu Christe, qui à Pilato ad Herodem; & ab Herode ad Pilatum mitti & remitti permisisti, ut per hoc tua innocentia magis illustraretur; da mihi iniquorum adversum me tolerantiam non timere, sed eorum exercitatione sic me proficere; ut tibi merear conformari. Amen.

§. 184. *Et ecce, nihil dignum morte actum est ei. v. 15.*

Verum igitur in Christo invenitur quod dixerat. *Venit princeps mundi huius, & in me, non habet quidquam.* Stat ille etiam nunc & clamat opere: quis ex vobis arguet me de peccato? jam incipit impleri, quod postea dixit Apostolus: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem transiit*